Valentina Vicariæ.

Stantibus &c.

Dubium = *An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.*

1 **Reu: Pater.** FRequens mutatio Turnorum, quæ in hoc Sacro Tribunali superiori anno contigit, ob dignam, & commendabilem aliquorum ex Candidatis assumptionem ad Superiores gradus, aliorumque decessum, nos impellit ad repetendam in hodierno iterato examine huius causæ integram Facti seriem, ne RR. Patres de nouo suffragantes grauentur incommodò reassumendi, ac perlegendi nostras præteritas Informationes.

2 Antequam igitur ostendamus omnimodam subsistentiam fundamentorum, quibus adhæsit magistralis Decisio R. P. D. mei Ponentis, & vberiores adducamus rationes vndequaque comprobantes iustitiam captæ resolutionis, operæ pretium erit denuò in facto exponere, quod constructo, & fundato à Serenissimo Aragonum, & Valentiæ Rege Iacobo II. in Valle de Alfandek Monasterio sub titulo Beatæ Mariæ Virginis Vallisdignæ Ordinis Cisterciensis, Reuerendissimus Episcopus Valentinus, eiusque Capitulum expendentes Christianæ charitatis officia ibi recentèr inducta, & viridem disciplinæ Regularis obseruantiam, qua Monasticus illæ cætus ope diuina florescebat, anno 1301. intuitu eiusdem Ordinis, & ad præfati Serenissimi Regis postulata dono dederunt in perpetuum prædicto Monasterio Vallisdignæ, illiusque Abbati, & Successoribus Ecclesiam Parochialem de Rafol vnicè tunc existentem in Valle memorata de Alfandek *cum suis Iuribus, primitijs, & pertinentijs vniuersis*, pluribus tamèn conditionibus adiectis; Prima nempè vt Abbas, eiusque Successores tenerentur ad eamdem Ecclesiam præsentare Clericum Sæcularem idoneum, qui Vicarij perpetui munere fungeretur, secunda, vt in eius congruam substentationem assignarentur 520. solidi Regalium Valentiæ annuatim ex Monasterij Bonis percipiendi; Ac tertia denique, vt Vicarius ab Abbate præsentatus institutionem, & Animarum Curam suspiceret ab Episcopo, qui sibi præseruauit = *Visitationem, Procurationem excessuum correctionem, & alia, quæ Iuris Episcopalis tam lege Iurisdictionis, quam Diæcesanæ existunt, tàm in personis Clericorum, quam Iuribus, & Parochialis ipsius Ecclesiæ* = vt latius videre est in nostro *præterito Summario num. 1. litt. B. & C.*

3 Cum autem ob ingruentium Bellorum tumultus lurida fames grassaretur, & contagiosus morbus irreperet Anno 136.., redditus Monasterij taliter decreuerant, vt nec annuo stipendio solidorum 520. soluendo satis essent, nec adimplendis oneribus, quibus Ecclesia Parochialis erat obnoxia sufficerent, intentante his de causis deserere Vicario Sæculari, eamdemque minori congrua dotatam assumere quolibet alio renuente; Hinc Reuerendissimus Episcopus, & Capitulum, vt Animarum curæ prospicerent, Abbati, ac Monasterio facultatem indulsere præsentandi loco Sacerdotis Sæcularis Monacum Professum eiusdem Monasterij, cum hoc tamen, vt Abbas, & Monasterium tenerentur soluere Procurationes ratione visitationis debitas, & subijcerentur omnibus oneribus, tam Ordinarijs, quam Extraordinarijs non solum impositis, verùm etiam imponendis, eodem pacto, ac subijciebantur alij Curati sæculares Ciuitatis, & Diœcesis Valentinæ, vtque deberent = *dicto Monato perpetuo Vicario Congruè prouidere in victu, & vestitu, & alijs omnibus suis necessarijs, & modò, & prout alijs Monachis dicti vestri Monasterij &c. præterito Summario num.2.*, & signanter *litt. F.*, *& G.*

4 Ex eo tempore vsque ad annum 1535. prædictæ Vicariæ semper præpositi fuere Monachi ab Abbate Regulari Superiore, ac Monachis dicti Monasterij electi, & deputati, non amplius admissis Clericis, aut Sæcularibus Præsbyteris. At quoniam temporis decursu multitudo Fidelium in Aragoniæ, & Valentiæ Regnis adaucta, plurimos exigebat Euangelij Precones, qui recenter conuersos ad fidem Christianis moribus, atque doctrinis instituerent, Anno propterea 1533. *san. mem. Clemens VII.* optans noua illa germina verbi diuini pabulo saginari, delegauit Cardinalem Alphonsum Manrique Hispalen. Archiepiscopum plenam illi facultatem impertiens erigendi Rectorias, creandi Vicarias perpetuas, diuidendi, vel vniendi Ecclesias, redditus prouentus, fructus, Decimas, & eligendi Rectores, Cappellanos, & alios, quos arbitratus fuisset idoneos ad prædicti fini adimplementum, aùt ad quoduis aliud præstandum, quod attentis rerum circumstantijs, ac temporum opportunitate pro sui arbitrio, & prudentia expedire censuisset, dicto *Summario præterito num. 3. litt. A.*

5 Tali amplissimo Indulto munitus Cardinalis Manrique anno 1534. in Regno Valentiæ subdelegauit nonnullos Commissarios, qui perpendentes vnicum Rectorem Parochialis Ecclesiæ de Rafol satis esse non posse debitæ Sacramentorum administrationi, & in fide Orthodoxa commodæ Instructioni, quibus indigebat copiosa multitudo recenter Conuersorum, & incolentium plura Oppida populosa inter se dissita Vallis de

de Alfandek sub Rectoria dictę Parochialis de Rafol existentia, necessarium esse duxerunt ab ea separare indicata Oppida, nouasque diuersas Parochias instituere; Quare auctoritate Apostolica, qua fungebantur dismembrarunt ab antiqua Parochiali de Rafol Oppida nuncupata *de Taberna*, *Simal*, *Alcudiola*, & alia, ibique nouas Parochias erexerunt sub expressa lege, vt præfatus Abbas, & Monasterium Vallisdignę soluere tenerentur pro substentatione cuiuslibet Rectoris annuam quantitatem librarum 30.; Ad imponendum autem hoc onus Abbati, & Monasterio Vallisdignæ moti fuerunt, eo quia = *dicti Abbas*, *& Conuentus omnes Decimas*, *& Primitias dicti loci*, *& totius Vallis de Alfandek percipiunt &c. Summario dicto num. 3. litt. B.*, Reseruatis denique Abbati, & Monasterio Iure præsentandi personas idoneas, & habiles ad præfatas Rectorias, & Rmo Archiepiscopo Iuribus Archiepiscopalibus eodem *Summario num. 3. litt. C., & D.*

5 Prudentèr considerantes deindè Abbas, & Monachi Vicarias huiusmodi Monasterio vnitas, quibus Regulares præficiendi erant, non posse in Titulum perpetuum Religiosis concedi, nec ab ijsdem retineri concessas, eo quod refragarentur tali concessioni, vel retentioni Sacri Canones, & Apostolicæ Constitutiones, adeoque non alias esse admittendas, nisi Manuales, atque ad nutum Abbatis amouibiles, vt præscribit *Sacra Tridentina Synodus in sess. 7. de Refor. cap. 7.*, vtque sancitum legitur in *Constitutione* 47. *S. Pij V.* §. 5., & expresse quoad Ordinem Cisterciensem in speciali Breui *sa. me. Clementis VIII. sub Datum* 10. *Martii* 1599., de quo in hodierno *Summario num.* 1.; Idcircò nè discederent à Conciliari dispositione, alijsque Apostolicis Constitutionibus, in Capitulo Prouinciali Ordinis celebrato anno 1620. pertractarunt euellere abusum pridèm inductum eligendi Monachos Professos in Vicarios perpetuos, præsertim quià talis abusus aduersabatur inolitæ consuetudini vniuersæ Congregationis Cisterciensis Aragoniæ, & Nauarræ, ad quam spectat Regale Monasterium Vallisdignę; Quare plenis Capitularium suffragijs, resolutum fuit, vt Monachi in Vicarios deputandi forent imposterùm amouibiles ad nutum Abbatis, à quo semper quandocumque, ad libitum possent ad Claustra reuocari, dicto præterito *Summario num. 4. litt. B.*, hoc autèm Decretum, seù Capitulare Statutum fuit confirmatum in forma specifica *die* 21. *Februarii* 1623. *à sa. me. Gregorio XV.* per speciale Breue, cum insertione integri tenoris eiusdem Decreti, auditis priùs relatione, & voto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium eodem *Summario num. 4. litt. A. B. & C.*

7 Vt Capitulare Decretum Breui Pontificio roboratum ad optatum finem perduceretur, semper habuerunt in votis Abbas, & Monachi, quemadmodum ostendunt, & resolutio Capitularis facta die 5. *Ianuarij* 1687., & alij plures actus nedùm antecedentes, verum etiam subsequentes; Huius autem desiderij executionem toto nisù promouere satagerunt Anno 1728.; vacante siquidèm Vicaria loci *de Taberna* in mense Nouembris per obitum Patris Ioannis Ferrer, Abbas præfati Monasterij Vallisdignæ prouidè intentus eo quo pollebat zelo incolumitati, & bono Religionis, & Monasterij cuius habenas laudabilitèr moderabatur, curauit etiam in Foro contentioso dictam Vicariam, Iudicis auctoritate declarari manualem, & ad nutum Abbatis amouibilem, adeò vt ipse plena fungeretur potestate deputandi deinceps in Vicarios, non solum præfatæ Vicariæ, sed & aliarum, quæ vnitæ reperiebantur Monasterio, contingente obitù Vicariorum Monachos Professos qui ratione voti obedientiæ, quo erant obstricti, semper, & ad nutum reuocari possent ad Claustra, inhærendo tenori laudatæ *Constitutionis Gregorianæ, d. præterito Summario num.5.*

8 Quià verò tanti ponderis negocium celeri definitione perfici non patiebatur, ideò perpendens Abbas imminere terminum semestris à die vacationis, eoque nondùm expleto vltimatam Decisionem propositæ Instantiæ obtineri non posse, vt omne motiuum deuolutionis auerteret, neue contingeret Ius nominandi sibi competens præpediri, quotiès Vicariam esse perpetuam fortè declararetur; Vtque aliàs ea manuali declarata maturiora posset amplecti consilia, supplex ab Ordinario poposcit suo Iuri nominandi prorogari tempus, eiusque postulatis obsecundans Reuerendissimus Vicarius Generalis nominationem ad aliud semestre protraxit, hæc omnia libentèr approbante vniuerso Cætù Religioso, & reluctantibus dumtaxàt quatuor Monachis, qui obedientiæ, ac paupertatis Iugum à semetipsis amoliri, extrà Claustra liberè degendo, meditabantur d. præterito *Summ. num.6.*

9 Successiuè Reuerendissimus Vicarius Generalis premissis matura ponderatione, ac diligenti examine propositæ Instantiæ, nec non vocato, & audito D. Promotore Fiscali Archiepiscopalis Curiæ *die 19. Nouembris* 1729. solemnitèr declarauit præfatam Vicariam *de Taberna* esse nutualem, adeoque ipsi, alijsque imposterùm vacaturis præficiendos esse Monachos ad nominationem Abbatis, & ad eius nutum amouibiles *dicto Summario num.5. litt. C.*, & in huius Decreti executionem *die 9. Ianuarii* 1730. fuit deputatus in Vicarium temporalem dictæ Vicariæ *de Taberna* Reuerendus Pater Iacobus Crespo

Mo-

Monachus Professus Monasterij prædicti, eodem præterito *Summario num.7.*

10 Post Anni lapsum insurgens Pater Vincentius Soler Aduersarius dicti Monaster j paritèr Monachus Professus, eo fretus prætextù, quod Vicaria *de Taberna* esset perpetua, nec fuisset collata intra terminum præfinitum *à Sacro Concilio Tridentino in sess. 24. de Reform. cap. 18.* illam impetrauit à S. Sede, vti reseruatam vigore *Constitutionis 33. S. Pij V. dicto Summario num.8.* expeditisque Litteris Apostolicis Ordinario Valentino pro executione directis, quas eidem præsentauit *die 10. Ianuarij 1731.* acerrimos illicò adinuenit contradictores, Abbatem nempè, Monasterium, & Patrem Iacobum Crespo Vicarium temporaneum anteà nominatum, qui mediante legitimo Procuratore se opposuerunt executioni dictarum Litterarum, sub motiuo patentissimæ subreptionis, & obreptionis earumdem, ob reticitam signantèr circumstantiam Decreti *sub die 19. Nouembris 1729.* ab Ordinario promulgati, quo præfata Vicaria in executionem Breuis Gregorij XV. declarata fuerat nutualis, & amouibilis cum successiua nominatione Patris Iacobi Crespo sub his qualitatibus ab Anno, & vltra eam possidentis, vt constat ex iudicialibus protestationibus emissis *diebus 15. Ianuarii, & 9. Februarii eiusdem Anni 1731. Summario num.9. & 10.* vtrobique *litt. A.*

11 Vltrò cognoscens Pater Vincentius Soler ab eius Litteris nullo modo abstergi posse maculam subreptionis, & obreptionis *die 12. Martii 1731.* extorsit à S. Sede nouam gratiam reualidatoriam *perindè valere* nuncupatam; in qua dolosam reticentiam Decreti de Vicariæ manualitater conatus fuit obducere fugato erroris prætextù, sed concessioni dictæ gratiæ reualidatoriæ adiecta fuit consueta Clausula = *à data præsentium tantùm valeant* = dicto præterito *Summario num. 11.* atque in hoc rerum Statu Reuerendissimus Vicarius Generalis post accuratum negocij examen *die 15. Decembris eiusdem Anni 1731.* promulgauit Sententiam declarantem Litteras à Patre Vincentio Soler impetratas non esse exequendas, eodem præterito *Summ. num. 12.*

12 Aduersùs præfatam iustissimam Sententiam Pater Vincentius Soler non reformidauit appellationem interponere ad hoc Sacrum Tribunal; Verùm probè considerans excitatam prætensionem omni rationum Fulcro destitutam penitùs collabescere, atque geminas gratias præcedentèr obtentas manifesto nullitatis vitio infectas, & inutiles remanere, omnes vias persequi tentauit, vt mediante assecutione controuersæ Vicariæ in Titulum perpetuum Claustra deserere, & obedientiæ Vinculum cui solemni voto in professione se alligauit dis-

 sol-

ſoluere poſſet; Die namque 21. *Septembris* 1732. ſignari curauit ſupplicationem prò altera noua gratia *ſi neutri Summario num.*13., quæ tamèn ob neglectam Bullarum expeditionem præpedita remanſit: Directa itaque Commiſſione Appellationis R. P. D. meo Ponenti *die* 25. *Februarij ſuperioris Anni* 1733. propoſitum fuit Dubium = *An Litteræ Apoſtolicæ eſſent exequendæ* = & prodijt reſolutio = *Litteras non eſſe exequendas*, vt videre eſt in egregia Deciſione deſuper extenſa, quæ diſtribuitur.

13 In hoc rerum Statù Pater Vincentius Soler Aduerſarius falsò ſuppoſuit Datariæ Apoſtolicæ maximum præiudicium quod ei ex reſolutione prædicta irrogabatur, & obtinuit, vt in votis habebat, quod eadem Dataria Apoſtolica ſe admitteret ad Cauſam; Quamobrèm de vnanimi Partium conſensù conceſſa facultate impugnandi, ac reuidendi præfatam Deciſionem ſubijgitur hodiè ſapientiſſimæ RR. PP. Cenſuræ præinſertum conſuetum Dubium, cui tuta ſpe reſpondendum confidimus prò perſiſtentia *in Deciſis*, quemadmodùm enixis præcibus exoramus.

14 Diſtinctè autem procedendo examinabimus priori loco ſubſiſtentiam captæ reſolutionis reſpectiuè ad Patrem Soler, ac deindè oſtendere curabimus, quod ex fundamentis, & rationibus ab hoc Sac. Tribunali amplexis, nullum infertur præiudicium Datariæ Apoſtolicæ. Profectò quod attinet ad Patrem Soler, ipſe prætendere nequit executionem ſuarum Litterarùm, niſi concludentèr iuſtificet principalem narratiuam, ſub qua extorſit prouiſionem controuerſæ Vicariæ in eo conſiſtentem, quod illa eſſet perpetua, & adhuc vacans per obitum Patris Ioannis Ferrrer ſecutum Anno 1728. quodque illius prouiſio pertineret ad Sedem Apoſtolicam in vim reſeruationis per *Conſtitutionem* 33. *S. Pij V.* inductæ ob non factam illius prouiſionem, ad formam, & intra tempus præſcriptum *à Sac. Concilio Tridentino in ſeſſ.*24. *de Reform.cap.*18. vndè cum fundamentalis narratiua prædicta non fuerit concludentèr iuſtificata, meritò Sac. Rota declarauit Litteras non eſſe exequendas, vt per *Text. in cap. ſuper litteris de reſcipt.* aliàs dixit eadem *Rot. in Colonien. Decanatus ſuper Litteris Apoſtolicis* 13. *Iunii* 1729. §. 2 *cor. R. P.D. Calcagnino in Monaſterien. Abbatiſſatus* 4. *Februarii* 1732. §. 17. *cor. Rmo P. D. Aldrouando Vrbis Gubernatore*, & in puncto alterius impetrationis Vicariæ ſpectantis ad noſtram Congregationem Ciſtercienſem, àtque obtentam ſub eadem narratiua reſeruationis ob non ſeruatam formam præſcriptam *à Sac. Concilio Trid. & Conſtitutione* 33. *S. Pij V.* nupèr firmatum fuit in *Ceſarau-*

Cæsaraugustana Vicariæ 9. Martij 1731. §. Cum enim cor. R. P. D. Ratto Episcopo Corduben.

15 Et sanè tantum abest quod Pater Soler iustificet prædictam fundamentalem narratiuam, vt potiùs è conuerso apertissimè constet de falsitate omnium expressorum in eius Litteris; Agitur enim de Vicaria vnita, & incorporata, seù effecta de mensa Monasterij Vallisdignæ Ordinis Cisterciensis, pleno Iure tàm in Spiritualibus, quàm in temporalibus, ac proptereà indubitatum est, quod non vacat per obitum, nec dicitur perpetua, nec prouideri debet per concursum, sed ad eius Regimen sunt assumendi Præsbyteri Regulares Ordinis prædicti, amouibiles tamèm ad nutum Superioris, & quandocumque reuocabiles ad Claustra iuxtà expressam Censuram *Textus in cap. cum accessisset de Constitut.*, & in *Clementina prima §. Quidam etiam de excessib. Prælat.*, & communitèr firmant *Abb. in eadem Clementina prima num. 11. Gonzal. ad regul. 8. Cancellariæ Gloss. 5. §. 6. num. 63. Rot. decis. 18. num. 1. cum seqq. coram Coccin. decis. 12. num. 1. & 2.* post *Monacell. in formular. tom. 2. in d. Cesaraugustana Vicariæ 9. Martii 1731. §. Tantum autem coràm Reuerendissimo Corduben., & in Passauien. Parochialium 30. Iunij eiusdem Anni §. Intentio cor. Rmo P. D. Aldrouando.*

16 Eodemque retento indubitato principio, quod agatur de Vicaria plenariè, ac subiectiuè vnita Monasterio Vallisdignæ falsa detegitur narratiua Litterarum etiam in ea parte, qua fuit expositum dictam Vicariam ob non factum concursum, & non secutam illius prouisionem intra terminum *à Sac. Concilio Tridentino* præfinitum, reseruatam fuisse vigore *Constitutionis 33. S. Pij V.*, quià Vicariæ vnitæ non debent prouideri per concursum ad formam Concilij, sed solùm per nominationem, seù Deputationem Vicarij faciendam per Abbatem, aut Superiorem illius Monasterij, cui facta fuit vnio, cum approbatione Ordinarij super idoneitate Vicarij nominati, seù deputati, nec subiacent *Constitutioni 33. S. Pij V.*, sed potiùs alteri *Constitutioni 47. eiusdem Pontificis* ex animaduersis per *Garz. de benefic. part. 9. cap. 2. num. 289. & seq.* Barbos. *de Offi., & potestat. Episc. part. 3. alleg 60. n. 31. & 32. Card. de Luc. de Parochis disc. 11. num. 3. Anaclet. in Ius Canonic. lib. 3. tit. 5. num. 142. & seqq. Rot. in Gerunden. vnionis super Iure nominandi, & celebratione Funerum 2. Iulii 1725. §. Quo enim coram bo. me. Cerro, & 28. Iunij 1728. §. Et sanè coram Rmo P. D. Aldrouando, in Vrgellen. Vicariæ 20. Iunii 1729. §. Et quidem coram Rmo Corduben., in dicta Cesaraugustana Vicariæ 9. Martij 1731. §. Indeque coram eodem, & in Vrgellen. Vicariæ della Vrto 7. Maij eiusdem Anni §. Finali cor. R. P. D. Millino.*

 17 Pari-

17 Pariformitèr licet Vicariæ perpetuæ in titulum conferendæ subiaceant reseruationibus Apostolicis; Attamèn secùs est in Vicarijs vnitis Monasterijs, quæ cum conferantur manualitèr, & prò nudo exercitio Curæ in Personas Obedientiarias, & ad nutum amouibiles, nequaquam sunt obnoxię Apostolicis reseruationibus, ac propterea neque *Constitutioni* 33. S. *Pij V.* ad tradita per *Lotter. de re benefic. lib.* 1. *qu.* 33. *nu.* 93. *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancellariæ Gloss.* 5. §. 7. *num.* 1. & 38. *Piton. discept. Eccles.* 27. *num.* 2. *cum seqq. & per tot. Rot. in Gerunden. vnionis super Iure nominandi, & celebratione Funerum* 2. *Iulij* 1725. §. *Talisque coràm bo. me. Cerro, & in dicta Cesaraugustana Vicariæ* 9. *Martij* 1731. §. *Indeque coram Rmo Corduben.*

18 Quod autem Vicaria, de qua disceptatur sit reuera vnita pleno Iure tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus Monasterio Beatæ Mariæ Virginis Vallisdignæ Ordinis Cisterciensis reuocari non potest in discrimen; Quoniam ex facto distinctè superiùs recensito constat, quod Anno 1301. Reuerendissimus tunc Episcopus Valentinus accedente Capituli assensù donauit, & concessit Monasterio prædicto Ecclesiam Parochialem de Rafol in Valle de Alfandek dicto præterito *Summario num.* 1., à qua deindè fuit dismembratum Oppidum de *Taberna* cum Erectione nouæ Vicariæ filialis, & dependentis à dicta Ecclesia de Rafol; Vndè cum indubitatum sit quod antè Concilium Tridentinum resideret penès Episcopos legitima facultas vniendi Ecclesias, & Beneficia, vt per *Text. in cap. exposuisti de Præben. cap. sicut vnire de excess. Prælat.*, animaduertit *Rot. in Aurien. Parochialis de Rozamonde* 16. *Iunii* 1721. §. *Quandoquidem coram bo. me. de Gamaches in Vrgellen. Vicariæ* 20. *Iunii* 1729. §. *Et quidèm coram Rmo Corduben.*, ex prædicta plenaria donatione Parochialis Ecclesiæ de Rafol à Reuerendissimo Episcopo facta Monasterio Vallisdignæ, resultat vnio, quæ satis est, vt quoad intrinsecam rerum substantiam, virtualitèr contineatur in donatione, quamuis de illa nulla facta fuerit expræssa, & positiua mentio, vt ad rem ponderat *Garz. de Benefic. part.* 12. *Cap.* 2. *num.* 256. *Rot. decis.* 11. *num. primo coram Martin. And. decis.* 1272. *num.* 1., & *decis.* 1304. *sub num.* 3. *cor. Seraphin. decis.* 64. *num.* 8. *cor. Cerro dec.* 336. *num.* 2. *cor. Bich. decis.* 1047. *num.* 7., & 8. *cor. bo. me. Molin. tom.* 4. *decis.* 88. *num.* 8. *part.* 9. *recen. in Compostellana Parochialium* 13. *Martij* 1716. §. *cum enim coram bo. me. Ansaldo*, & in puncto quod ex donatione Monasterio facta, & amplissimis verbis concepta resultet sufficiens probatio vnionis, firmat *Rot. decis.* 64. *num.* 4. *coram Cerro, & in dicta*

Cesa-

Cesaraugustana Vicaria 9. *Martij* 1731. §. *Quod autem coram Rmo Corduben.*

19 Frustraque suaderi prætenditur exaduerso, quod vnio Ecclesiæ Parochialis de Rafol facta Monasterio Vallisdignæ non fuerit plenaria tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, sed solùm quoad temporalia; Quandoquidèm vnionem prædictam fuisse plenariam, & non restrictam quoad temporalia dumtaxàt, conuincit manifestissimè littera donationis anni 1301., in qua legitur = *concedimus, & donamus Monasterio Vallisdignæ, & vobis &c. in perpetuum Ecclesiam Parochialem dictæ Vallis de Alfandek CVM SVIS IVRIBVS PRIMITIIS, PERTINENTIIS VNIVERSIS* = *Summario num.* 1. *ante litt. B.* Vndè cum inter Iura Ecclesiæ tunc Parochialis de Rafol donatæ Monasterio, dubio procùl ratione Curæ Animarum ad eam pertinentis compræhensa forent Iura spiritualia, concessio eiusdem Ecclesię facta *cum suis Iuribus, Primitijs, & Pertinentijs vniuersis* ratione generalitatis verborum, quæ totum designant, & nihil penitùs excludunt, coarctari nequit ad sola temporalia, sed pernecesse concludit vnionem plenariam, & incorporatiuam tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, quemadmodum expendendo efficaciam, & indolem verborũ *cum omnibus Iuribus, & pertinentijs* constantissimè firmauit *Rot.*, *& signanter in decis.* 115. *sub num.* 6. *cor. Merlin. decis* 73. *num* 3. *cor. bo. me. de Herrera decis.* 82. *num.* 20 *cor. clar. me. Cardinali Caprara decis.* 1. *num.* 7. *tit.* 44. *de vnion. cor. cla. me. Cardinali Falconer. tom.* 3. *in Compostellana Parochialium* 13. *Martij* 1716. §. *Verùm cor. bo. me. Ansaldo in Aurien. Parochialis de Rozamonde* 16. *Iunij* 1721. §. *Tertius coram bo. me. de Gamaches in Pampilonen. Beneficij* 20. *Ianuarij* 1727 §. *Non obstante coram eodem in Astoricen. Parochialis de Cubillos super vnione* 4. *Iulij eiusdem anni* §. *Prò eo enim coram Rmo P.D. Corio, in Vicen. Iurisdictionis* 28. *Aprilis* 1732. §. 3. *coram R.P.D. Millino, & in Passauien. Parochialium* 30. *Iunii eiusdem Anni* §. *Quod autem coram Reuerendissimo Aldrouando.*

20 Fortiùs perstringit expressum pactum adiectum in præfata donatione, vt scilicet Abbas, & Monasterium præsentare deberent Clericum Secularem idoneum, qui Vicarij munere fungeretur in eadem Ecclesia Parochiali, eique assignare tenerentur certam, & determinatam congruam solidorum 520. pro sui prouisione, reseruatis cæteris omnibus fructibus fauore Mensæ Monasterialis dicto præterito *Summario num.* 1. *litt. B.* quæ determinata congruæ assignatio fauore Vicarij cum totali reseruatione aliorum fructuum fauore Abbatis, & Monasterij conuincentissimum præbet argumentum subiectiuæ,

tæ plenariæ vnionis tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus; Alias enim si Vicarius obtinere debuisset curam in titulum proprium independentèr à Cura habituali penès Monasterium existente, non fuisset vnicè prouisus de congrua manutentione, sed etiam de Prouentibus Ecclesiæ, vndè valuisset nedùm substentationem habere, sed etiam Iura Episcopalia soluere, vt ad inducendam vnionem plenariam ex sola congruæ assignatione facta Vicario per litteralem *Textum in cap. de Monachis 12. de Præben., & dignitat. ibi = ad præsentationem Monachorum nullum recipias nisi tantum ei de Prouentibus Ecclesiæ coram Te fuerit assignatum, vndè Iura Episcopalia possit persoluere, & congruam substentationem habere* punctualitèr firmat *Rot. decis. 1334. sub num. 1. coram Seraphin. decis. 115. num. 7., & 9. coram Merlin. decis. 1334. num. 5., & seqq. coram Coccin. decis. 73. num. 6. cor. be. me. de Herrera decis. 710. num. 3. part. 2. decis. 49 num. 2. cum seqq. par. 15. recen. in Compostellana Parochialis 11. Maij 1716. §. Plenariam coram bo. me. Cerro, in Aurien. Parochialis de Rozamonde 29. Aprilis 1720. §. 8. versic. certius quia, & 16. Iunij 1721. §. Transitum, & seqq. cor. bo. me. de Gamaches, & in Passauien. Parochialium 30. Iunij 1732. §. Quæ quidem coram Rmo P. D. Aldrouando.*

21 Certoque certius quia in donatione prædicta Iura Episcopalia fuerunt prȩseruata per pactum expressum, & per viam retentionis ibi = *Nos verò visitationem, Procurationem, excessuum correctionem, & alia quæ Iuris Episcopalis, tàm lege Iurisdictionalis, quam Diœcesanę existunt, tã in Personis Clericorũ, quam Iuribus, & Parochialibus ipsius Ecclesię retinemus = Sum. d. n. 1. lit C.* Eaque propter cum Episcopus, & Capitulum quidquid præseruare voluerunt disertis notis expresserint, concludere oportet, cætera Iura spiritualia, & temporalia, vtporè similitèr non exceptuata, nec præseruata consultò in Monasterium translata fuisse, dùm ei vniuersaliter omnia Iura Ecclesiæ de Rafol attribuebantur, vt argumento *Text. in cap. quo circa de priuileg.* firmat *Rot. decis. 790. num. 38. par. 18. recen. decis. 613. num. 12. coram bon. mem. Molin. tom. 2., & decis. 3. num. 10. tit. 23. de Offic. Ordin. coram clar. mem. Cardin. Falconer. tom. 2.*

22 Augentur in immensum demonstrationes vnionis plenariæ, ac subiectiuæ tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus ex conditionibus, & pactis alterius Instrumenti anni 1369., in quo Episcopus indulsit Abbati, vt in Vicarium Ecclesiæ prȩdictæ loco Clerici Sæcularis deputare valeret Monachum Professum eiusdem Monasterii, quià ipsa particularis Conuentio, quod Ecclesia Parochialis administrari posset per

Mo-

Monachum importat, & ad euidentiam ostendit, quod Ecclesia fuerat vnita pleno Iure, ac totalitèr effecta de Mensa Monasterij, cum Regulares nequeant prefici alijs Ecclesijs Curatis, quæ non sint de Mensa Monasterij, vt opportunè ad nostrum propositum considerat, *Lotter. de re benefic. lib. 1. quæst. 33. num. 93., Rot. dec. 368. num. 7., & 8. coram Dunozet. Iun. in Aurien. Parochialis de Rozamonde 16. Iunij 1721. §. Transitum coram bo. me. de Gamaches, & in Brixinen. Iurisdictionis super bono Iure 28. Nouembris 1727. §. Consultò coram Rmo P. D. Aldrouando Vrbis Gubernatore.*

23 Vlteriùs in eodem Instrumento anni 1369. Abbati, & Monasterio iniunctum fuit expressè, vt soluere tenerentur Episcopo Procurationes ratione Visitationis debitas, & subsidia charitatiua, vtq; adimplere deberent alia onera tàm Ordinaria, quã extraordinaria, quæ incumbebant cæteris Curatis Sæcularibus Ciuitatis, & Diæcesis Valentinæ *Summario dicto nu. 2. litt. F.*; Quemadmodùm ergò solutio Procurationis, charitatiui subsidij, aliorumque Iurium Episcopalium est onus reale, quòd incumbit Ecclesijs, vt probant *Text. in Canon. Priscis 2. caus. 10. quæst. 3. cap. Conquerente 16. de offic., & potestat. Iudic. Ordinar. cap. 1. cap. Eccles. 9. de Censib.* Ità prædictum solutionis onus impositum Abbati, & Monasterio planè conuincit, quod possessio plenaria omnium Iurium Ecclesiæ penès ipsum Abbatem, & Monasterium existebat vna cum habituali Cura, vt arguit *Gloss. in Clementina dudum verb. impendant de Sepultur.*, & respondit *Rot. decis. 450. nu. 6. coram Cerro decis. 516. num. 8. part. 18. recen. in Sutrina præcedentiæ 19. Februarij 1714. §. Argumenti coram Reuerendissimo Crispo, & 9. Maii 1716. §. Atque vlteriùs coram Emo D. Card. Althann.*

24 Accedit præmissis, quod in præfato Instrumento cautum fuit, vt Abbas de bonis, & Iuribus Monasterij teneretur = *Dicto Monacho perpetuo Vicario congruè prouidere in victu, & vestitu, & aliis omnibus suis necessariis, & modo, & proùt aliis Monachis dicti vestri Monasterii* = *Summario dicto nu. 2. litt. G.* quod sanè pactum comprobat Ecclesiam fuisse totalitèr Monasterio vnitam, quià si Monachus in Vicarium deputatus debebat manuteneri ab ipsò Monasterio ad instar aliorum Monachorum, & non ex redditibus, & emolumentis Parochialis Ecclesiæ, in suum proprium, & priuatum dominium translatis, ac propptereà si dictus Monachus adhùc remanebat subditus Abbati, perindè ac si degeret in Monasterio, id non poterat effici alio motiuo, nisi quià in Monasterium translata erant omnia Iura prædicta, & quià Ecclesia commissa dicto Monacho reputari non poterat independens à Monasterio

 &

& desponsata suo proprio, & particulari Rectori, sed perne-
cesse consideranda erat, vtpotè Monasterij membrum, at-
tenta subordinatione, atque omnimoda dependentia eiusdem
Rectoris à suo Abbate, vt specialiter concludit *Rot. dec. 11.*
num. 3. coram Martin. Andr., in Compostellana Parochialium 13.
Martij 1716. §. De vnion. cor. bo. me. Ansaldo, & 11. Maij
eiusdem Anni §. Plenariam in fin. coram bon. mem. Cerro, & in
dicta Aurien. Parochialis de Rozamonde 16. Iunii 1721. §. Nec
subsistere coram bo. me. de Gamaches.

25 Ac denique, vt cessaret omnis etiam remotissima dubitatio
circa vnionem Parochialis Ecclesiæ factam pleno Iure Mo-
nasterio, Episcopus in eodem Instrumento anni 1369. re-
nouauit donationem ipsius Ecclesiæ Parochialis amplissi-
mis verbis conceptam, ibi = *Damus purè, & abso-*
lutè SINE ALIQVO RETENTV saluis præmissis dumtaxat
omnes, & singulos redditus, fructus, prouentus, ac Iura, &
alia vniuersa, & singula, quæ Vicarius prædictus sæcularis in
eadem, & prædicta Ecclesia habere, & recipere consueuerat ra-
tione, & causa alimentorum sui, & eius Familiæ, & alia sibi
prætextu, & vigore dictæ perpetuæ Vicariæ pertinentia, & spe-
ctantia quouis modo ad appropriandum ea vobis, & dicto Mona-
sterio, & faciendum exinde de ipsis vestras in omnibus liberas
voluntates = Summario dicto num. 2. litt. I., quæ sanè ampli-
tudo verborum in hoc secundo actú donationis adhibita ope-
ratur, quod etiam si per impossibile â primo Instrumento An-
ni 1301. non resultaret vnio plenaria, ea nihilominus in con-
trouertibilis remaneat ex hoc postremo Instrumento An-
ni 1369.; cum donatio quorumcumque Iurium ex qualibet
causa, & ratione ad Ecclesiam donatam pertinentium, re-
stringi non possit ad Iura temporalia dumtaxât, quibus non
congruit vniuersalitas prædictis effrenatis verbis explicata, &
signanter cum ea declaratione = *sine aliquo retentu* =, quæ in-
cludit omne vestigium, omnemq; reliquiam primæui Iuris, vt
appositè ratiocinatur *Rot. decij. 74. num. 4., & seqq., & de-*
cis. 103. num. 2., & 3. cor. Cerro decis. 625. num. 2. cor. Mer-
lino decis. 947. num. 1., & 2. cor. Emerix Iun. decis. 192. n. 4.,
& decis. 212. num. 1., & 2. part. 7., & in Compostellana Pa-
rochialium 13. Martij 1716. §. Verum coram bon. mem. An-
saldo.

26 Quidquam non refragante, quod controuersa Vicaria *de Ta-*
berna, non sit eadem ac Parochialis Ecclesia de Rafol com-
præhensa in donatione, sed sit vna ex illis quatuor de nouo
erectis anno 1534. à Subdelegatis Apostolicis, præuia dis-
membratione Curæ à nostro Monasterio, vt propterea de vna
Parochiali ad aliam fieri nequeat illatio; Quamuis enim præ-
fati

fati Sub lelegati à Cardinali Manrique anno 1534. vt occurrerent spiritualibus indigentijs numerosi Populi nouitèr ad fidem conuersi, & incolentis Oppida Vallis de Alfandek inter se dissita, separauerint, & dismembrauerint ab antiqua Ecclesia Parochiali de Rafol diuersa Oppida, inter quæ recensetur locus *de Taberna*, ibique nouas erexerint Parochiales, aut Ecclesias filiales, nihilominùs habitualis Cura, quæ antè dismembrationem residebat penès Monasterium, salua, & illæsa remansit penès ipsum, etiam postquam Ecclesia de Rafol passa fuit dictam dismembrationem; Dispositia enim ad vnũ effectũ protendi non debent ad producendum effectum diuersum à mente, & proposito disponentis, ac propterea dismembratio solùm operari potuit effectum contemplatum in ordine ad exercitium Curæ actualis assignatæ, ac diuisæ inter tot Ecclesias filiales iuxtà vtilitatem, & necessitatem Populi, cui consulere intendebant Delegati, sed non potuit præiudicare habituali curæ, nec destruere præexistens Ius Monasterij fundatum in plenaria, & subiectiua vnione Parochialis Ecclesiæ de Rafol Iam sibi facta cum suis Iuribus vniuersis vt in præcisis terminis egregiè firmat *Rot. decis.* 204. *num.* 1. *part.* 17. *recen. decis.* 73. *num.* 4., *&* 5. *coram bo. me. de Herrera*, *& in Nullius*, *seù Celsonen. Parochialis super bono Iure* 3. *Decembris* 1728. §. *Minusque coram R.mo P. D. Aldrouando* ibi = *Proindè semper magis confirmata remanet intelligentia excludens quamcumque præcedentis vnionis interuersionem, ex facto præmemoratæ dismembrationis, quæ iuxtà propriam legalem indolem nunquam solet alterare statum, seù conditiones Ecclesiarum, sed eas regulariter præseruat præcisiuè ab eo, quod exigat specialis ipsius met dismembrationis effectus.*

27 Quinimmò ipsemet actus dismembrationis prædictæ mirabilitèr confirmat nullum fuisse illatum præiudicium dicto Monasterio quoad plenariam, & subiectiuam vnionem; Quandoquidem Subdelegati Apostolici non assignarunt nouis Vicarijs certos fundos ex quorum fructibus possent congruè substentari, sed iniunxerunt onus Abbati, & Monasterio ijsdem subministrandi annuum determinatum redditum *Summ. dicto num.* 3. *litt. B.* Quotiès autem Vicario exercere debenti Animarum Curam ex fructibus Parochialibus assignatur solùm certa portio, & reliqui fructus applicantur Mensæ Monasterij, dicendum est, quod mediante hac fructuum diuisione illesa remanserit habitualis cura penès Monasterium existens, atque ab eo seiuncta fuerit solùm actualis Cura per Vicarium exercenda, vt egregiè in his terminis expendit *Abb. in cap. extirpandæ* 30. §. *Qui verò il secondo sub num.* 15. *versic. ex quo sequitur de Præbend.*, *Murg. de benefic. quæst.* 4. *num.* 186. *& in*

& in quæstionibus pastoralibus part.1. quæst.2. diuis.2. nu.155. & 157., Panimoll. decis.5. adnotat.2. num.13., Rot. decis.115. sub num.6. versic. præterea coram Merlin. decis.235. num.3. coram Celso decis.320. num.9. coram Emerix iun. decis.6. nu.2. de tit.44. de vnion. coram clar. mem. Card. Falconer. tom.3. decis.516 num.7. part.18. tom.2. recent. in Compostellana Parochialis 11. Maij 1716. §. Plenariam versic. ea namque coram bon. mem. Cerro, & in alia Compostellana Parochialium 26. Februarii 1717. §. Certiùs quia coram bon mem de Gamaches.

28 Præterea in memorato dismembrationis actu fuerunt præseruatæ fauore Abbatis, & Monasterij omnes Decimæ, ac Primitiæ loci *de Taberna*, & totius Vallis de Aifandck *de supra to rito Summ. num 3. litt.B.*, vndè cum Decimæ sine dubio procul de Iuribus Parochialibus, & spectent ad Parochum, seù illum penès quem residet Animarum Cura, vt ex definitione *Text. in cap. cum contingat, vbi glos. & DD. de decim.* firmant *Lotter. de re benefic lib.1. quæst.20. num.73. cum seqq., Card. de Luc. de decim. discurs.11. num.4. in fin., Ventril. in prax. par.2. adnot.27. § 1. num.16. Rot.decis.153. num.2. par.2. rec. & in Thelesina Congruæ 18 Iunii 1731. §. Absque eo quod coram R. P. D. Rezzonico.* Illarum assignatio, & appropriatio facta Mensæ Monasterij, & quidèm contradistinctiuè à certa, & determinata fructuum portione Vicario attributa, est acerrimum præbet argumentum ostendens habitualem Curam resedisse penès Monasterium, illius verò exercitium dumtaxàt pertinere ad Vicarium, & Ecclesiam Parochialem fuisse pleno iure vnitam, & subiectam eidem Monasterio, ex animaduersis per *Lotter. de re benefic. lib.1. quæst.20. num 126. Marg. quæstion. pastoral. part.1. quæst.2. diuis.2. num.154.* ibi = *Quia Monasterium percipit Decimas dictæ Ecclesiæ, hæc dicitur Mensa illius, & Dominium, & Curam Ecclesiæ habitu penès Monasterium esse, & residere, penès Vicarium verò exercitium = Piton. discept. Eccles.66. num.3. tom.3.* ibi = *Nàm quotiès Parochia erit Monasterii, & Decimæ spectabant ad Monasterium, hæc est infallibilis demonstratio vnionis, qua mediante in Monasterium, cui facta est vnio transferuntur Decimæ, illique incorporantur ad Mensam, & substentationem ipsius Monasterij = Rot. dec.311. num.6. par.6. decis.516. num 7. part.18. recentior. decis.1394. num.1. coram Seraphin. decis.947 num.2. coram Emerix iun. in Augustana Parochialium 11. Iunij 1728. §. Primum coram R.P.D. Millino in Vicen. Iuris admittendi Presbyteros super bono Iure 29. Aprilis 1729. § Inter circumstantias, & §. Tùm denique coram Reuerendissimo Corduben in Cesauraugustana Vicariæ 9. Martii 1731 § Certoque coram Eodem,* ibi = *Altera verò circumstantia resultat ex concessione Decimarum facta fa-*

uore

ucre Abbatum, quia si certum est, proùt iure negari nequit, quod Decimæ debeantur ratione Curæ Animarum iàm indè patens fit, quod Abbati Concessionario incumbit Cura Animarum habitualis, quodque Vicaria non aliter esse potest quam ipso Monasterio pleno iure subiecta = & in Passauien. Parochialium 30. Iunii 1732. §. Quemadmodum coram Reuerendissimo P. D. Aldrouando.

29 In vberiorem autem confirmationem tùm plenariæ, ac subiectiuæ vnionis, tùm existentiæ omnimodæ Curæ habitualis penès Monasterium, accedit obseruantia plusquam centenaria nedùm affirmatiua, verùm etiam negatiua. Et quidem affirmatiua quia Vicariæ huiusmodi à Subdelegatis Cardinalis Manrique de nouo erectæ, semper fuerunt prouisæ ad simplicem deputationem, seù nominationem Abbatis, & Monachorum cum sola Ordinarii approbatione ad Curam Animarum *dicto præterito Summ. num.* 14., vt euenit signanter occasione admissionis Patris Ioannis Ferrer nouissimi Vicarij, eodem *Summ. num.* 14. *litt. E.*, quod sanè contingere non potuisset nisi supposita vnione plenaria, & subiectiua, cum verisimile non sit, quod tot vigilantissimi Præsules deputationes, ac nominationes prædictas voluerint admittere in præiudicium proprij Iuris conferendi, vt ad rem ponderat *Rot. decis.* 625. *num.* 3. *coram Merlin. decis.* 947. *num.* 3 *& decis.* 1023. *num.* 6. *in princip. coram Emerix iun. decis.* 730. *num.* 2. *coram clar. me. Card. Caprara in Zamoren. Parochialis de Canizo super Reseruatis* 4. *Iunii* 1723. §. *His præterea coram bon. mem. de Gamaches in Augustana Parochialis* 11. *Iunij* 1728. §. *Proponebantur coram R. P. D. Millino, & in Nullius, seù Cesonen. Parochialis super bono Iure* 3. *Decembris eiusdem anni* §. *Et sanè coram Reuerendissimo P. D. Aldrouando*, ibi = *Ex qua proindè adeò vetusta, & copiosa serie nominationum Parochiali vnitæ congruentium, & quidèm admissarum, necnon approbatarum ab ipsismet Ordinarijs, qui vtique proprijs Iuribus præiudicium intulissent, quatenùs non subsistente allegatæ vnionis titulo Abbatum nominationes, ac deputationes ad controuersam Parochialem approbassent, dubium non videtur quin concludenter iustificatus dici possit controuersæ vnionis titulus* =

30 Obseruantia verò negatiua ex eo promanat, quod Vicariæ prædictæ nunquam fuerunt collatæ per S. Sedem in mensibus reseruatis, sed ad illas, quotiès vacatio contigit nominarunt Abbates cum successiua nominationum admissione facta per Ordinarium, vt superius dicebamus, & resultat ex attestatione Patris Secretarij Monasterij Vallisdignæ *præterito Summar. num.* 5.; Quæ sanè deficientia Prouisionum Apostolicarum in mensibus reseruatis fortiùs comprobat subsistentiam vnionis

 ple-

plenariæ, ac subiectiuæ, vt firmat *Piton. disceptat. Eccles.65. num.9. tom.3.*, *Rot. decis.73. num.15. coram bon.mem. de Herrera in Compostellana Parochialium 13. Martii 1716. § Inhabitantius coram bon. me. Ansaldo, & 26. Februarij 1717. §.Hec omnia coram bon. mem. de Gamaches in Zamoren. Parochialis de Canizo super Reseruatis 4. Iunii 1723. §. Et consona coram eodem, & in dicta Nullius, seù Celsonen. Parochialis super Bono iure 3. Decembris 1728. §. Accedente coram Reuerendissimo Àldrouando.*

31 Ad interrrumpendam verò prædictam obseruantiam negatiuam quidquam prodesse nequeunt Patri Vincentio Soler Aduersario assertæ Collationes Apostolicæ factæ *Iure deuoluto* anno 1580. quoad Parochiam *de Benifairo* fauore Fr. Baptistæ de Lassa, vt in præterito contrario *Summ. num.6.*, & tamquam *de reseruato* ratione mensium anno 1614. quoad Parochialem de Rafol dicto præterito contrario *Summ. num.6.* Prouisio namque iure deuoluto anni 1580. non iustificatur, nec iustificari potest, quod fuerit executioni demandata, ideòque nullam promeretur animaduersionem; quia Collationes Beneficiorum nisi probentur effectuaræ nil operantur, & perindè haberi debent, ac si factæ non fuissent, vt admonet *Rot. decis.54 num.5. coram Dunozet. sen. decis.124. num.5. part.3. decis.257. num.11. par.4. tom.2. decis.536. num.25. par.5. t.2. decis.224. num.17. par.16. recent.& in Gerunden. Canonicatus 11. Ianuarij 1726. §.25. coram R. P. D. Calcagnino*; Prouisio verò Ecclesiæ Parochialis de Rafol tamquam de reseruato ratione mensis anno 1614. expleta, nihil probat, quia in Ecclesia prædicta fuerat suppressa Parochialitas, & translata in Ecclesiam Parochialem *dell'Vmbria*, eo quod locus de Rafol Habitatoribus destitutus erat, vt constat ex præterito *Summ. Partis num.2. litt.D.*, ideòque deficiente Animarum Cura, vt dicitur in ipsis litteris Apostolicis contrario *Summ. num.7.* ibi = *Ecclesia habitu non tamen actu Parochialis loci de Ræfol* = nullam inuoluebat implicantiam, quod Ecclesia, quæ remanserat Beneficium collatiuum in titulum perpetuum, conferri posset à S. Sede Monacho Professo, cum ageretur de Beneficio Regulari Animarum Cura destituto; ideòque dicta prouisio non excludit, quod ceteræ Vicariæ actu pollentes Animarum Cura, sint pleno Iure vnitæ Monasterio, & ab eo dependeant, itaùt non subiaceant prouisionibus Apostolicis, quarum nulla concernens dictas Vicarias vnitas exaduerso affertur.

32 Cæterùm Prouisiones prædictæ nullum inferre possunt præiudicium, nisi probetur, quod fuerint expletæ cum scientia, & patientia Abbatis, & Monasterij, attenta præsertim solita

præ-

præferuatiua = *sine Iuris alicuius præiudicio* = Vel in litteris explicitè contenta, vel in vim regularum Cancellariæ virtualitèr subintellecta, quæ sicuti excludit in conferente voluntatem immutandi Beneficii statum, ità præexistentem vnionem in nulla sui parte dissoluit, vt in fortioribus terminis, in quibus plures adducebantur collationes factæ à Sede Apostolica firmat *Rot. in Astoricen. Parochialis de Cabillos super vnione 4. Iulii 1727. §. Indeque cor. Rmo P. D. Corio Decano, & in Celsonen. annuæ præstationis super bono Iure 15. Iunii 1731. §. Et differendo coram R. P. D. Cincio Archiepiscopo Beneuentano*, adstipulante regula communiter admissa in subiecta materia, quod Collationes Apostolicæ reputari debent ineptæ ad immutandum Statum Beneficii, & signantèr ad euertendas vniones quotiès attento earum exiguo numero vnam, vel alteram tantum non excedente constabilire nequeunt centenariam, vel inducere præscriptionem inductiuam noui, & diuersi tituli Collatiuì diametralitèr oppositi eidem vnioni, ad ea, quæ firmat *Rot. dec. 20. num. 9., & 10. tit. final. de Miscellan. cor. cla. me. Cardinali Falconer. tom. 4. in d. Astoricen. Parochialis de Cubillos super vnione 4. Iulii 1727. §. Indeque cor. R. P. D. Corio in Vrgellen. Vicariæ 20. Iunij 1729. §. Descendendo cum §. Sequen. cor. Rmo Corduben., & in dicta Celsonen. annuæ præstationis super bono Iure 15. Iunii 1731. §. Et differendo coram R. P. D. Cincio Archiepiscopo Beneuentano.*

33 Leuioris ponderis apparent sententiæ Ordinariorum, ex quibus Pars aduersa eruere satagit Collationes ab ipsis Ordinariis liberè factas, vt in contrario præterito *Summ. num.* 8., & 9., quia dictæ sententiæ non habent figuram collationum factarum ab Ordinario, sed solum prima dat prælationem Monacho Præsentato ab Abbate contra Præsentatum à Monachis, & secunda Beneficium adiudicat Præsentato ab Abbate ad exclusionem Præsentati à Priore. Quinimò dictæ sententiæ præseferentes Collationem Vicariarum factas ab Ordinario ad nominationem, & præsentationem Abbatis retorquentur ad hominem, quia tantum abest, quod sint aduersatiuæ vnioni, vt potiùs apprimè comprobent illius effectuationem, quam hoc Sacrum Tribunal pluries desumpsit ex Collationibus Ordinariorum expletis ad nominationem, & præsentationem Abbatis, vt signanter videre est in *decis. 162. num. 3. cor. Carillo in d. Astoricen. Parochialis de Cubillos super vnione 4. Iulii 1727. §. Verùm cor. Rmo P. D. Corio* plenissimè *in Vrgellen. Vicariæ 20. Iunii 1729. §. Specifica §. De longeua §. Nec deficiebat, & ferè per tot. cor. Rmo Ratto Episcopo Corduben., & in d. Celsonen. annuæ præstationis super bono Iure*

15.

15. *Iunii* 1731. §. *Pariterque cor. R. P. D. Cincio Archiepiscopo Beneuentano*.

34 Nil facessente, quod in sententiis prædictis, nec non in aliis prouisionibus controuersæ Vicariæ de *Taberna* factis ab Archiepiscopo ad nominationem Abbatis, de quibus in contrario *præterito Summ. num.* 13. 14. 15., & 16. habeatur frequens mentio de Rectoria, vacatione, collatione, Institutione, præsentatione, ac titulo Iuris Patronatus ad eumdem Abbatem ac Monasterium pertinentis, quæ denominationes videntur aduersatiuæ vnioni; Quoties namquè aliundè constat de vnione plenaria, & subiectiua, proùt in præsenti casu ex irrefragabilibus demonstrationibus hactenùs adductis prædictæ verbales denominationes, tamquam equiuocæ non inficiunt substantiam vnionis, neque illam excludunt; Certum enim est, quod denominatio Rectoris loco Vicarii licet impropriè verificari potest circà exercitium Curæ actualis, vt animaduertit *Rot. dec.* 73. *num.* 22. *cor. bo me. de Herrera in Aurien. Parochialis de Rozamonde* 29. *Aprilis* 1720. §. 9. *cor. bon. me. de Gamaches*. Similitèr vacatio quamuis congruat Beneficiis Collatiuis impropriè tamen aliquando verificatur etiam in Ecclesiis vnitis, ad ea, quæ firmat *Card. de Luc. de Benefic. disc.* 97. *n.* 19. *Rot. dec.* 296. *num.* 8 *cor. Coccin. dec.* 48. *num.* 16. *post Murg. in quæst. pastoral.*, *& in Burgen. Iurisdictionis super actibus Parochialibus* 26. *Iunii* 1715. §. *Nec subsistit cor. Reuerendissimo Crispo*.

35 Eàdemque vrgente ratione nil officit aliquando expræssum fuisse collationes Vicariarum, earumque Institutiones fieri debere ad præsentationem Abbatis, cum nil magis frequentius contingat, quam huiusmodi Fraternizzantia vocabula præsentationis, & nominationis promiscuè inter se, accipi, ac vsurpari tamquam Sinonima, itaùt præsentationes non tam Iurispatronatus titulo, quàm plenariæ, ac subiectiuæ vnionis fieri dicantur, proùt nos edocet *Rot. decis.* 441. *num.* 7., *&* 8. *part.* 5. *dec.* 330. *num.* 24, *& seqq. part.* 9. *rec. dec.* 947. *num.* 5. *cor. Emerix Iun. dec.* 73. *nu.* 18. *cor. bo. me. de Herrera dec.* 1047. *num.* 19., *&* 20. *cor. bo. me. Molin. tom.* 4. *in Compostellana Parochialis* 11. *Maii* 1716. §. *Atq. hinc cor. bo. me. Cerro*, *& in Augustana Parochialis* 11. *Iunii* 1728. §. *Similitèr cor. R. P. D. Millino*. Quodque verbū *instituere* passim adhibeatur etiam in beneficiis vnitis pro Institutione auctorizabili ab Episcopo concedenda dixit *Rot. dec.* 204. *num* 6. *part.* 2. *rec.* ibi = *Et licet Episcopus instituerit, tamen hæc non est propriè institutio, sed est aucthorizabilis institutio, quæ in Ecclesiis de Mensa Monasterii spectat ad Episcopum dec.* 49. *num.* 27., *&* 28. *part.* 15. *recent. dec.* 1047. *num.* 19. *cor. bo. me. Molin. tom.* 4.

Et

36 Et in terminis enunciatiuæ Iurispatronatus, quod ea incompatibilis non sit cum unione plenaria tam in spiritualibus, quàm in temporalibus cum referri possit ad Ius nominandi Vicarium, quo stante Abbas dicitur, quod sit quodammodo Patronus, & habeat Iuspatronatus Parochiæ suo Monasterio vnitæ considerat *Rot. dec.485. num.22. part.4 tom.2. dec.330. sub num.20. §. Præterea cum seqq. part.9. tom.2. rec. dec.947. num.5. cor. Emerix Iun, & in Aurien. Parochialis de Rozamonde 29. Aprilis 1720. § 9. cor. bo. me. de Gamaches.*

37 Multoque minus ad exclusionem vnionis plenariæ tot mediis efficacissimis comprobatæ obesse valet, quod in actu dismembrationis à Subdelegatis Apostolicis factę fuerit assignata propria dos Parochiis de nouo erectis, & vice versa Rmo Abbati, & Monasterio fuerit solum reseruatum Ius Patronatus quemadmodum in anteacta causæ propositione suadere conabantur DD. contrarii defensores: Obiectum namque, nec habet subsistentiam in facto, nec releuantiam in Iure; Constat siquidem in facto, quod asserta dos nouis Parochis assignata non consistebat in certis, & determinatis fundis, quorum fructus ab ipsis percipi deberent Iure proprio, sed consistebat in annua quantitate prò substentatione Vicarii à Monasterio soluenda d. præterito *Summ. num 3. litt.B.* ibi = *Reuerendus Abbas, & Conuentus Monasterii teneantur dare, & soluere quolibet anno triginta libras de annuo redditu* = quam summam librarum 30. Commissarii Apostolici subindè auxerunt vsque ad libras centum; Ideoque si Vicarij solummodo certam, & determinatam summam recipiunt à Monasterio prò eorum substentatione, ac nullum fundum in proprietate possident, nullosque fructus proprio Iure assequuntur; Et si ex alia parte Abbas, & Monasterium in vim expressæ reseruationis factæ in actu dismembrationis *d. Summ. num.3. litt.B.* percipiunt omnes decimas, & primitias ex tota Valle de Alfandek, quæ antiquitùs ad Ecclesiam de Rafol pertinebant, ideoque seclusa vnione, ad eius filiales Ecclesias curatas, & dismembratas hodiè spectare deberent, in quibus decimis consistunt ferè omnes redditus Monasterii deseruientes prò condecenti, & splendida manutentione tum Religiosorum tum Hospitalitatis, quæ assiduò ibidem solet exerceri tum etiam Pauperum ad illud confluentium, quibus dietim subministratur victus, fateri compellimur ex his omnibus verificatam remanere vnionem plenariam fauore ipsius Monasterii quod percipit omnes decimas constituentes fructum Parochię assignata solum Vicariis tenui, & determinata quantitate redditus prò congrua illorum substentatione, vt probant specialissimæ auctoritates allegatæ supra in §.27.

In

38 In Iure verò non releuaret obiectum quamuis per impossibile ostenderetur, quod Vicarij perciperent maiorem partem fructuum Ecclesiarum Parochialium, quodque minor pars cederet in vtilitatem Abbatis, & Monasterij, quia omnes fructus à Vicarijs percipi soliti, etiamsi conspicuæ quantitatis essent, censeri possent relaxati Vicarijs à Reuerendissimo Abbate in causam eorum congruæ substentationis absque vlla vnionis euersione, vt ad rem obseruat *Rot. in Nullius, seù Celsonen. Parochialis super bono Iure 3. Decembris 1728. §. Atque hinc coram Reuerendissimo Aldrouando, & in Vrgellen. Vicariæ 20. Iunij 1729. §. Nullamque coram Rmo P. D. Ratto Episcopo Corduben.*

39 Quibus ita se habentibus ad excusandam falsitatem narratiuæ in Litteris Aduersarij emissam circa perpetuitatem Vicariæ de Taberna officere non potest, quod eadem Vicaria in concessione anni 1369. declarata fuerit perpetua, & Monachis conferenda in perpetuum ibi = *Idoneum Presbyterum Monachum &c. recipere, & admittere, & in Vicarium perpetuum ipsius Ecclesiæ instituere, & sibi de ea prouidere, ac collationem Canonicam facere &c.* = *dicto præterito Summario num.2. sub litt.E.*; Etenim vltra quod huiusmodi qualitas perpetuitatis respicit alium effectum, & diuersam inspectionem, an scilicèt Monachi post adeptam semel Vicariam subsint nec ne obedientiæ Abbatis, adeò vt possint ad eius libitum reuocari ad claustra, ideoque, data etiam perpetuitate Pontifici narrata, gratia remaneret subreptitia ex alio capite suppositæ reseruationis Vicariæ nunquam verificabilis attenta vnione plenaria, & subiectiua, quam non tollit perpetuitas Vicariæ, dum incompatibile non est, quod Vicaria licèt perpetua minimè subiaceat reseruationibus Apostolicis tamquàm vnita, eò quia perpetuitas potest inesse, aut ex lege particulari, aut ex qualitate speciali, quæ per accidens valet esse, aut abesse absque corruptione subiecti, vt benè aduertit *Rota decis.445. num. final. part.5. tom.2. decis.49. num.36. & seqq. part.15. recent. in Compostellana Parochialium 13. Martij 1716. §. Prout coram bon. mem. Ansaldo in Compostellana Parochialis 11. May eiusdem anni §. Atque hinc coram bon. mem. Cerro in Augustana Parochialis 11. Iunij 1728. §. Similiter coram R. P. D. Millino* ibi = *Perpetuitas verò quatenus etiam subsisteret, minimè refragaretur vnioni prædictæ, minusque efficeret quod Beneficium reputandum sit collatiuum, & incidat in reseruationes Apostolicas cum optimè conciliari possit cum eadem vnione* =, *& in Nullius, seù Celsonen. Parochialis super bono Iure 3. Decembris 1728. §. Quatenus coram Rmo P. D. Aldrouando.*

40 Veritas nihilominùs incauillabilis est, quod non subsistit asserta

ta perpetuitas; Eo ipso namque, quod in Vicarium Curatum deputatur Monachus, aut Regularis, præseruatiua subintelligitur semper qualitas amouibilitatis ad nutum Superioris, proùt Status Regularis, vota Religionis, & perfectio Instituti, expresſè requirunt, ad tradita per *Rot. in Aurien. Parochialis de Rozamonde 16. Iunij 1721. §. Nec subsistere coram bon. mem. de Gamaches, & in Brixinen. Iurisdictionis super bono Iure 28. Nouembris 1727. §. Quantum coram Reuerendissimo Aldrouando*; Ac propterea ne de facili recedatur ab huiusmodi regula, & ne irrepat detestabilis abusus, quod Monachi nequeant reuocari ad Claustra, & proprio Superiori nutualem obedientiam denegent, censeri debet perpetuitatem prædictam neutiquam inhærere Personæ Vicarii ad perpetuandam illius deputationem, sed solum determinare statum Ecclesiæ Parochialis, vt scilicèt illa perpetuis futuris temporibus administranda sit per Vicarios, vt in puncto explicat *Rot. in Aurien. Parochialis de Rozamonde super reseruatis prima Iulij 1722. §. Neque Vicariæ coram bon. mem. Foscaro* ibi = *Neque Vicariæ perpetuitas desumi posse videbatur ex eo, quod Episcopus Aurien. in confirmatione vnionis &c. dixerit mandamus vt in ea perpetuis futuris temporibus sit vnus perpetuus Vicarius, Monachus, seù Cappellanus = quia perpetuitas inibi designata non coheret Personæ Vicarij ad qualificandam illius deputationem, sed dumtaxat determinat Statum Parochiæ, quæ sicuti per subiectiuam vnionem euaserat Vicaria, ita in ea perpetuis futuris temporibus deputari deberet Vicarius, nè Animarum Cura detrimentum pateretur &c.*

41 Quem sensum Iuri consentaneum quodammodo necessarium reddunt posteriora verba eiusdem Concessionis anni 1369. *dicto Summario præterito num. 2. litt. E.* ibi = *Sub his tamen pactis, ordinationibus, modis, & conditionibus, quod idem Monachus Presbyter, & idoneus præsentandus dictam Ecclesiam teneatur &c. regere &c., & Curam Animarum quoad administrationem earum, & Sacramentorum, aliaque quæ spectant, & pertinent ad Regimen Ecclesiæ, & Curam Animarum debitam Canonicamque reuerentiam*, ET MANVALEM OBEDIENTIAM &c.. Si enim vnico, eodemque contextu quo Vicaria nuncupatur perpetua, expresſè apponitur præseruatiua *manualis obedientiæ*, sequitur indè pernecesse, quod eadem perpetuitas concernit solùm Statum Ecclesiæ, quæ perpetuis futuris temporibus debet gubernari à Vicario, non autem importat, quod Monachi deputatio adeò sit perpetua, vt Deputatus nequeat reuocari ad Claustra, & non teneatur ampliùs Abbati, suo Superiori manualem obedientiam præstare, vt solidè aduertit *Rot. in dicta Aurien. Parochia-*

chialis de Rozamonde super reseruatis prima Iulij 1722. *§. Tum quia coram bon. mem. Foscaro*,

42 Et de facto stylus est inconcussus, & constans in Ordine vniuerso Cisterciensi Regnorum Hyspaniæ, quod huiusmodi deputationes ad Ecclesias Curatas Monasterijs vnitas, vel ab eis dependentes, quando Monachis conceduntur fieri semper solent salua obedientia, & amouibilitate ad nutum Abbatis, vt resultat ex superlatiuo Testimonio Reuerendissimi Abbatis, & Vicarij Generalis Congregationis Cisterciensis Regnorum Coronæ Aragonum, & Nauarræ *præsenti Summario num.*2. ibi = *Omnia Monasteria dictæ nostræ Congregationis habentia Ecclesias sibi vnitas, vel dependentes, per Monachos suos administratas deputare Vicarios Obedientiarios, & ad nutum Abbatum amouibiles* = Eaque propter omnes deputationes huc vsque factæ prò regendis nostris Vicarijs, & signantér controuersa Ecclesia *de Taberna* non obstante quacumque perpetuitatis expressione censeri debent expletæ cum hac vniformi Lege aliarum omnium deputationum, & cum eadem norma, quam non minus communis vsus, quàm Apostolicæ Constitutiones induxerunt, & contra quas nihil valide geri, & introduci nequibat, omnis enim actus de Iure semper præsumitur validus, ac ritè gestus eo modo, quo fieri debebat, ad tradita per *Gratian. discept. forens. cap.*375. *num.*9., *Rub. de validit. legal. cap.*4. *num.*9., *Rot. decis.*9. *num.*13. *tit.*24. *de pact. coram clar. mem. Card. Falconer. tom.*2. *in Tridentina Mansionariæ, seù Beneficij* 28. *Aprilis* 1725. *§. Ratio coram Rmo Corduben., & in Arboren. Pensionis* 13. *Maij* 1726. *§. Neque in fine coram bon. mem. Cornelio*.

43 Constito ex his, quod litteris impetratis à Patre Soler Aduersario nullo modo concedenda sit executio, vtpotè non iustificatis in ea parte, qua Pontifici expositum fuit Vicariam *de Taberna* esse perpetuam, & remansisse obnoxiam reseruationi contentæ *in Bulla* 33. *S. Pij V.*, firmum etiam remanet aliud fundamentum in Decisione, quæ reuidetur amplexum circa subreptionem, & obreptionem dictarum Litterarum, ex quo Pater Soler Pontifici reticuit eamdem Vicariam vsque sub die 19. Nouembris 1729. à Reuerendissimo Vicario Generali fuisse declaratam nutualem, atque amouibilem in executionem Constitutionum Apostolicarum, Decreti Capituli Prouincialis, *& Breuis confirmatorij Gregorii XV.*, & sub his qualitatibus fuisse iàm nominatum Patrem Crespo actualem ipsius Vicariæ pacificum Possessorem; Quia si huiusmodi circumstantiæ fuissent expositæ, vtique vel retraxissent Pontificem à concessione gratiæ, vel saltem difficiliorem ad illam

red-

reddidissent, vt benè aduertit *Decisio R. P. D. Ponentis §. Ratio*.

44 Inutili; verò conatu opponere consueuerunt DD. Contrarij Defensores, quod in supplicatione Pontifici exhibita, non erat facienda mentio de præfato Decreto, vtpotè serò nimis edito à Vicario Generali Valentino in executionem *Breuis Gregorij XV.*, quod non habuerat vsum initiatiuum, & vsque ab initio per centum, & ampliùs annos ineffectuatum, & de medio sublatum remanserat; Quandoquidem Constitutiones Apostolicæ sempes vigent, semper obligant, & semper sunt exequendæ non obstante desuetudine, atque inobseruantia quantumuis longissimi temporis, nec abrogari possunt per non vsum, vt alias dixit *Rot. decis.91. per tot. cor. Caualer. decis.616. num.10. coram Dunozet. Iun.*, & in fortioribus terminis, quod contrarius vsus 250. annorum non facit abire in desuetudinem Constitutionem Apostolicam firmat *Rot. dicta decis.91. tot. coram Caualer., & decis. 260. num. 15. & 22. part. 17. recen.*, stante præsertim clausula *sublata, & decreto irritanti* in Gregoriana Constitutione adiecto, cuius virtus est infringere quemcumque non vsum, aut etiam contrarium vsum, ex animaduersis per *Abb. in cap. Dilecto sub num. 14. de Præben. & dignitat. Felin. in cap. cum accessissent sub num. 30. versic. quarto limita de constitut.*, *Rot: decis.260. num.15. & seqq. part. 17. decis: 418. num. 7. & seqq. part. 18. recent. in Perusina, seu Fulginaten. Abbatiæ 12. Maij 1702. §. Minus coram clar. mem. Cardinali Priolo*.

45 Non releuante quod in præsenti agatur de non vsu initiatiuo, qui etiam simplicitèr quadragenarius exuberare posset ad reddendam inefficacem Apostolicam Constitutionem, vt opponebant DD. exaduerso Scribentes in *Memoriali pro noua Audientia* §.16. allegando *decisionem 616. num.14. coràm Dunozet. Iun.*; Prædicta siquidèm decisio, aliæque authoritates in contrarium adducibiles procedunt iuxtà terminos *Tex. in cap. si de Terra de Priuileg.* & in illis particularibus Constitutionibus, quæ speciem habent Priuilegij, & simplicis gratiæ, quia tunc Constitutio Pontificia secumfert conditionem, quatenùs Pars, quæ illam obtinuit, Priuilegio vti velit, & per non vsum eius fauor amittitur.

46 In casu nostro diuersa militat ratio, quia *Constitutio Gregorij XV.* non continet gratiam, seù Priuilegium, sed reintegrat, & renouat obseruantiam, & dispositionem tùm Iuris communis, tùm Sacri Concilij Tridentini, tùm Breuis *Clementis VIII.*, tùm denique Constitutionum Ordinis Cisterciensis, & consuetudinis firmæ, atque inconcussæ vigentis in omnibus alijs Monasterijs nostri Ordinis, ac tendentis ad incre-

crc-

crementum, & profectum Obseruantiæ. seù Disciplinæ Regularis; Quibus attentis circumstantijs cum agetur de Constitutione Pontificis euulgata pro vniuersali bono totius Ordinis Cisterciensis, & ex iusta, & rationabili Causa, vt Monachi semper obstricti maneant Obedientiæ proprij Superioris, & contrà illius voluntatem non vagentur extra Claustra, quemadmodùm acceptatio Constitutionis pendere non debet à voluntate Subditorum, quia Papa suam supremam authoritatem non recognoscit ab homine, sed à Deo, vt inquit *Rot. decis.91. num.12. & per tot. coram Caualer.*; Ita paruipenditur non vsus etiam initiatiuus, desuetudo, & inobseruantia, quibus non obstantibus eidem Constitutioni omninò parendum est, vt benè distinguendo vnum casum ab alio firmat *Rot. in Calaguritana Quartæ Funeralis de Naxera 19. Februarij* 1725. §. *Atque hinc coram bo. mem. Cerro*, & confirmat *decis. R.P.D. Ponentis §. Etenim*.

47 Rursùs debiliori conatù ad euitandam subreptionem Litterarum ob non factam expressionem præfati Decreti Vicarij Generalis opponitur, quod Breue *Gregorij XV.* ad cuius executionem processerat idem Vicarius remanserit subreptitium, ideòque nullum, & irritum, eo quia Pontifici, & Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium pro voto à Sanctissimo requisitæ occultatum fuerit, quod ageretur de Rectorijs, aut Vicarijs ab initio sæcularibus. & postmodum donatis Monasterio, cum pacto præsentandi sæculares Præsbyteros, qui ab Ordinario Valentino reportarent institutionem in titulum cum Commissione Curæ Animarum, ac denique per alium pactum confirmatis eidem Monasterio præsentare debenti Monachos paritèr instituendos ab eodem Ordinario in titulum, ex quo inferri prætenditur, quod Sacra Congregatio, & Summus Pontifex decepti sub inuolucro verborum existimare potuerint agi de Grancijs, seù Rectorijs, & Vicarijs Ruralibus, proùt excipiebant DD. exaduerso Scribentes *in Memoriali pro noua Audientia* §. 17. *cum seqq.*

48 Tùm quia intempestiua, & serotina exceptio subreptionis, & obreptionis *Breuis Gregorij XV.* à DD. contrarijs Defensoribus hodiè ad Causæ opportunitatem suscitata, eximere non poterat Patrem Soler à narratiua decreti Vicarij Generalis, qui demandando executioni Breue prædictum, declarauerat manualem Vicariam, de qua res est, dùm ad Pontificem, non verò ad ipsum Patrem Soler spectabat dignoscere an Breue, cuius executionem decreuerat Vicarius, esset subreptitium nec ne; Quinimò cum idem Breue munitum foret clausula *sublata, & decreto irritanti*, redargui non poterat, nec potest de aliquo subreptionis, & obreptionis vitio, nisi priùs obten-

to legali remedio aperitionis Oris; Et interim semper firmum remanet, quod Litteræ Patris Soler saluari nequeunt à manifesta supreptione, & obreptione, attento quod in eis reticitum fuit decretum Vicarij Generalis manualem declarantis Vicariam quemadmodum prescriptum fuerat in Breui Gregoriano, quin hodiè permitti debeat Parti aduersæ, vt impugnare valeat idem Breue, ac prætendere quod ab hoc Sacro Tribunali declaretur subreptitium, & obreptitium; Indubitati namque Iuris est, quod clausula *sublata, & decretum irritans* appositum in Constitutionibus Apostolicis tollit quibuscumque Iudicibus quacumque authoritate fulgentibus aliter iudicandi facultatem, vt benè aduertit *Gratian. discept. forens. cap. 791. num. 12., Lotter. de re benefic. lib. 2. quæst. 27. num. 41., & lib. 3. quæst. 12. num. 61. Gonzal. ad regul. 8. Cancellariæ gloss. 61. num. 3., Rot. decis. 262. num. 8. & decis. 681. num. 20. par. 19. recent. decis. 3. num. 3. titul. 23. de Offic. Ordin. coràm clar. mem. Card. Falconerio tom. 2. & in Cesaraugustana Menstruæ Præstationis, & Dismembrationis* 12. *Martii* 1731. *§. 11. coram R. P. D. Nunez.*

49 Tùm, & fortiùs quia Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium, ac Summo Pontifici Gregorio XV., non sub inuolucro verborum, sed clarè, ac distinctè fuit expositum, quod Vicariæ, seù Rectoriæ, de quibus agebatur, ad Monasterium pertinebant, illarumque Regimen, & gubernium committebatur Monachis tamquam Vicarijs perpetuis dicto præterito *Summario num. 4. litt. B.*, ibi = *Vt Rectoriæ, siue Vicariæ locorum dicti Monasterij, quæ sunt de Iurepatronatns dictorum Abbatis, & Conuentus, & quæ nunc per Rectores, & Vicarios perpetuos, & Monachos Professos dicti Monasterij reguntur, & gubernantur, extinguantur, ità vt perpetuitus ipsarum extincta remaneat; & superueniente vacatione temporales, & ad nutum Abbatis amouibiles existant* = Quin vlla subesset necessitas enarrandi Originarium Secularem statum earumdem Vicariarum, illarumque successiuam donationem Abbati, & Monasterio factam; Nec subsistit, quod ex præfata narratiua Sacra Congregatio, & Summus Pontifex decepti, existimauerint agi de Grancijs, vel Rectorijs, & Vicarijs Ruralibus, quia de illis facta fuit separata, & specialis mentio, vt in dicto *Summario num. 4. litt. B.*, ibi = *Et si aliquæ fuerint Rurales Rectoriæ, siue Vicariæ cum vacauerint Monasterio supprimantur.*

50 Nullum denique præsidium constituere valet Pater Soler Aduersarius in gratia reualidatoria *perindè valere*, qua mediante manifestam subreptionem, atque obreptionem suarum litterarum ob reticitum Decretum Vicarij Generalis mederi tenta-

ta-

tauit, vt in præterito *Summario num.*11.; Quia gratia prædicta continet clausulam expressam = *à data præsentium tantum valeant* = vndè cum die 15. *Ianuarij*, *&* 9. *Februarii* 1731. legitimus Procurator Monasterij, & Patris Crespo, judicialitèr in actis opposuerit defectum subreptionis, & obreptionis primæ gratiæ ob reticitum decretum, quo Vicaria *de Taberna* declarata fuerat manualis, vt in dicto præterito *Summario num.*9. *&* 10;, subsequens gratia reualidatoria non priùs obtenta, quam die 12. *Martii* 1731. inefficax remansit, nec potuit assumere vim retrotractionis ad gratiam principalem; Quia in subiecta materia inoleuit distinctio ab hoc Sacro Tribunali approbata, & constantissimè firmata, quod nempè aut nullitas ex defectu, quo laborabat prima gratia, fuit iàm in actis oppositus, & allegatus, & tunc non vindicat sibi locum retrotractio, quia defectus est fundamentum oppositionis, & Ius quæsitum opponenti fieri nequit deteriùs per gratiam reualidatoriam obtentam ex post; Aut verò defectus primæ gratiæ non fuit adhùc iudicialitèr in actis oppositus, & tunc gratia reualidatoria retrotrahitur semper ad diem gratiæ principalis; vt benè distinguendo vnum casum ab alio ratiocinatur *Lotter. de re benefic. lib.*2. *quæst.*51. *n.*25. *&* 26. & formitèr discusso articulo firmauit *Rot. in Pisana Cappellaniæ* 15. *Ianuarii* 1706. §. *Minimè coràm bon. mem. Lancetta in Turritana Canonicatus* 27. *Martii* 1726. §. *Finali coràm Reuerendissimo Corduben. in Burgen. Cappellaniæ* 14. *Ianuarii* 1732. §.18. *&* 30. *Iunij eiusdem anni* §. *Verum coràm R. P. D. Ponente, cum aliis adductis in decisione, quæ reuidetur* §. *Nouerat*.

51 Efficacissimæ rationes hactenùs enucleatæ ad euidentiam conuincunt, Patri Soler Aduersario nullum competere Ius pro executione litterarum, quas extorsit à Sede Apostolica. Ostendendum itàque superest dumtaxàt, quod ex præfata resolutione Sacri Tribunalis executionem denegante præfatis litteris, nullum infertur præiudicium Datariæ, quod sanè assumptum redditur manifestum; Quià si Vicaria controuersa est indubitantèr vnita Monasterio Vallisdignæ, vt plenè fuit probatum, cessat quodcumque Datariæ præiudicium, dùm in beneficijs vnitis non habent locum reseruatione, Apostolicæ; Nec tale præiudicium etiam præcisiuè ab vnione desumi valet à Decreto Vicarij Generalis, qui exequendo Breue *Gregorii XV.*, declarauit manualem dictam Vicariam, quasi quod tollendo perpetuitatem supplantauerit Datariam; Ipse nàmque nil fecit de proprio capite, sed solùm in exequutionem *Constitutionis Gregorij XV.*, declarauit Vicariam *de Taberna* esse manualem, non verò perpetuam, dicto præte-

rito

rito *Summario num.5. litt.C.*, sicque nil aliud gessit, quam explicare id, quod tacitè inerat, & fuerat dispositum in *Breuibus Clementis VIII.*, *& Gregorij XV.*, quibus attentis circumstantijs cessat decantatum præjudicium, & supplantatio Datariæ, quæ commendabili, qua pollet Iustitiæ, ac pietatis zelo, nunquam præpedire intendit executionem Constitutionibus Pontificijs, nec ejus intentionis est, vt non sine maxima læsione Regularis Obseruantiæ, ac Monasticæ Disciplinæ remoueatur à Vicarijs Regularibus ad nostrum Ordinem Cisterciensem pertinentibus qualitas illa manualis, & amouibilis, quam *Sacrum Concilium Tridentinum in sess.7. de Reformat. cap.7.* reliquit Ordinariorum arbitrio, quam *S. Pius V. in sua Constitutione* 47. §.5. demandauit expressè, quamue pro Cisterciensi Ordine Regnorum Hispaniæ in suis Breuibus inuiolabilitèr seruandam esse præceperunt *sa.me.Clemens VIII. & Gregorius XV.*, vt egregiè perpendit *decisio R.P.D.Ponentis §. finali*.

52 Præiudicium verò Datariæ Apostolicæ frustra induci prætenderetur, eo sub obtentu, quod præfata *Constitutio Gregorij XV.* remanserit obnoxia reuocationi per Successores Pontifices decretæ in *regulis* 13. *&* 15. *Cancellariæ*; Quod enim attinet ad *regulam* 13. illa excipit litteralitèr actus gestos authoritate Concilij Tridentini ibi = *Non tamen Concilij Tridentini authoritate* = ideoque si *Clemens VIII.* in executionem Concilij Tridentini, *& Gregorius XV.* se reddens vniformem Conciliari decreto demandarunt Vicarias Ordinis Cisterciensis esse debere manuales, huic manualitati derogare non potuit *regula* 13. *Cancellariæ*, vt benè aduertit *Decisio*, *quæ reuidetur* §. *Absque eo quod*.

53 Accedit prætereà his omnibus animaduersio illa, quod *regul.*13. *Cancellariæ* reuocat omnes extinctiones, & suppressiones, quæ non habuerunt effectum in vita Pontificis concedentis, ac propterea eius dispositio trahi nequit ad præsentem casum, in quo vnio à quatuor Sæculis, & vltra suum plenarium habuit effectum, nec agitur de suppressione, dum *Gregorius XV.*, & Vicarius Generalis Executor Breuis noluerunt supprimere Vicarias, illarumque titulum, sed eas tantum declararunt manuales, vt prosequitur *dicta Decisio R.P.D. Ponentis* eodem §. *Absque eo quod*, maximè quià dicta Vicaria de sui natura iam erat amouibilis, & non perpetua, & quatenus etiam per falsam hypothesim tunc solum de statu perpetuo ad statum amouibilem redacta fuisset, in vtroque statu, vel perpetuitatis, vel amouibilitatis ratione vnionis plenariè obnoxia minimè fuisset reseruationibus Apostolicis, vt superius ostendimus in § 39.

Cef.

54 Cessante desuper quacumque difficultate, quià Constitutio Gregoriana iuxtà Resolutionem Capituli Prouincialis, & votum Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium, directa non fuit ad priuatam bursalem, & profanam vtilitatem dicti Monasterij Vallisdignæ, sed ad reparandum, vel constituendum statum Religioso Instituto congruum, & qualem dispositiones Canonicæ, ac vota solemnia præscribunt, vt scilicet Monachus perpetuò maneat sub obedientia sui Abbatis, aut alterius Superioris, & ad eius nutum reuocari possit ad Claustra, in quibus terminis obesse nequit *regula 13.*, cui non subiacent vniones, vel suppressiones factæ in augumentum Diuini Cultus, & ex Causa necessaria tendente ad perfectionem Status Religiosi ex firmatis per *Gratian. discept. forens. cap. 278. num. 7.*, *Rot. decis. 449. num. 3. & 4. coram Caualerio decis. 91. num. 1. par. 9. decis. 817. num. 2. par. 18. recent.*, *& in Vrgellen. Vicariæ 8. Martij 1723. §. Tum quia cum seqq. coram R.P.D. Calcagnino.*

55 Denique applicabilis non est dispositio *regulæ 15. Cancellariæ*, quià illa reuocat solum facultates conferendi Beneficia generaliter affecta, seù reseruata, non vero tollit facultatem, quam de jure habent Ordinarij, multoque magis Summi Pontifices declarandi amouibiles Vicarias præsertim vnitas Monasterjs, atque à Monachis regendas, quæ manualitas concernit vniuersale bonorum Religiosorum; Alias enim si Constitutiones Apostolicæ decernentes manualitatem Beneficiorum Regularium, subijci deberent præfatæ reuocationi contentæ *in regula 15. Cancellariæ*, dici deberet etiam reuocata *Constitutio 47. S. Pij V.*, præscribens, vt in Parochialibus Monasterijs vnitis deputetur Monachus ab Ordinario approbandus, qui tamen sit amouibilis ad nutum sui Superioris, vt funditus considerat *Decisio R. P. D. Ponentis dicto §. Absque eo quod in fine.*

Quarè &c.

Franciscus Corazza)
Petrus Guerra) Aduoc.
Io: Anderas Rinaldus

VSM.

SUMMARIUM

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Num. 1. *Breue fa. me. Clementis VIII. anni 1599.*

VT ea, quæ pro Ecclesiasticarum Personarum quarumlibet, præsertim Regularium, quiete, & tranquillitate Statuta, declarata sunt, debitæq; executioni demandentur, ex iniuncto Nobis Apostolicæ seruitutis officio, proùt conspicimus in Domino expedire, prouidere debemus. Sanè dilecti filij Generalis, Abbates Congregationis Regularis Obseruantiæ S. Bernardi Cisterciensis Ordinis Regnorum Hispaniarum Nobis nuper exponi fecerunt, quod cum alias per Congregationem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decretorum Concilij Tridentini Interpretum declaratum fuerit = Ac in Parochialibus Ecclesijs alicui Monasterio vnitis, quibus per Sæculares Sacerdotes, & Ministros deseruitur (cum examen per concursum minimè instituendum sit) in ipsis vnitis Ecclesijs constitui oportere Vicarios idoneos perpetuò, vel ad nutum amouibiles ab Episcopo approbandos, à Præfectis tamen Monasteriorum nominandos = *In illis vero Parochialibus Ecclesijs vnitis, quibus per Regulares Monachos deseruitur, Monachum eisdem Ecclesijs Vicarium pro tempore præficiendum non aliter debere constitui, quam ad nutum suorum Superiorum amouibilem, ab Ordinario tamen præuio examine approbatum, cum portione arbitrio suorum Superiorum assignanda*; qui Monachus ibidem vna cum alio Monacho dumtaxat habitare debeat. In illis autem Parochialibus Ecclesijs non vnitis, quæ sunt Iurispatronatus Ecclesiastici, examen vtique per concursum esse peragendum = Quare Generalis Reformator, & Abbates prædicti Nobis humiliter supplicare fecerunt, quatenus supradicta, prout decreta sunt, approbare, eaque omnia ab omnibus inuiolabiliter obseruari mandaremus. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, decreta, & ordinationes huiusmodi Apostolica Auctoritate tenore præsentium approbamus, eaque per quoscumque Archiepiscopos, Episcopos, & alios Locorum Ordinarios inuiolabiliter perpetuò obseruari debere statuimus, & ordinamus; Decernentes sic, & non aliter per eosdem, & alios quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car-

Cardinales, & Causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quidquid secus super his à quoquam &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Martij Anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo.

Num. 2. *Attestatio Rmi Abbatis, & Vicarij Generalis Congregationis Cistercensis Aragonum Hispaniæ.*

Nos Magister D. Frater Christophorus Ponte Regij Monasterij Sanctæ Mariæ de Sancta Fide Abbas, & Cisterciensis Congregationis Regnorum Coronæ Aragonum, & Nabarræ Vicarius Generalis &c. testamur, *omnia Monasteria dictæ nostræ Congregationis habentia Ecclesias sibi vnitas, vel dependentes, per Monachos suos administratas, deputare Vicarios obedientiarios, & ad nutum Abbatum amouibiles*. In cuius fidem præsens testimonium manu nostra subscriptum, sigillo nostri Officij munitum, & per Secretarium prædictæ Congregationis referendatum exhiberi curauimus. Datum in Regio Monasterio Petrensi die vigesima septima Septembris anni millesimi septingentesimi trigesimi tertij.

Magister Fr. Christophorus Ponte Abbas de Sancta Fide, & Vic. Gen.

Magister Fr. Caietanus del Arco Secretarius Congregationis.

Loco ✠ sigilli.

R. P. D.

CRESCENTIO

Valentina Vicariæ.

INTER

Rm̃um Abb., & Regale Monasterium B. Mariæ Virginis Vallisdignæ Ordinis Cisterciensis, nec non R. P. Jacobum Crespo Vicarium temporalem Eccl. Parochialis Loci de Taberna.

E T

Datariam Apostolicam, nec non P. Vincentium Soler Monachum Professum eiusdem Ordinis, & Monasterij.

F

Secundus Restrictus Facti, & Iuris cum Summario.

Typis Leone, & Mainardi 1734.